

D E L E C T U S  
FLORAE ET FAUNAE  
BRASILIENSIS

JUSSU ET AUSPICIIS  
FRANCISCI I.  
AUSTRIAE IMPERATORIS  
INVESTIGATAE.

AUCTORE

J. C. MIKAN,  
M. D. BOTANICES IN UNIVERSITATE PRAGENSI  
PROFESSORE.

VINDOBONAE,  
SUNTIBUS AUCTORIS, TYPIS ANTONII STRAUSS.

1830.

C. W. L.  
METTERNICH - WINNEBURG

PRINCIPI  
IN. OCHSENHAUSEN

DIFFICILLIMA . AUSTRIAE  
EUROPAE . DISCRIMINA .

MODERANTI

PACIFICANTI

ARTIUM . MUSARUM

AMICO

CULTORI

MAECENATI

HUNC  
FLORAE ET FAUNAE  
BRASILIENSIS

DELECTUM

D. D. D.

J. C. MIKAN.

Trado tibi, Lector benevole! florae et faunae, quam naturae scrutatores adhucdum Brasiliam peragrantes uberiolem facile in lucem sunt edituri, quasi primordia. Temporis enim, per quod ibi degere mihi licuit, angustiae \*) non nisi regni vastissimi, omni viventium genere luxuriantis limites attingere concesserunt. \*\*) Elucescat paucis his tabulis, quot quantisque Brasilia et animalibus et plantis, nobis hucdum incognitis abundet.

Nolui, jam ab aliis publicata denuo depingere et describere; incognita potius vel minus cognita communicare, mihi proposui. Attamen ob ingentem copiam rerum naturalium, quae ex fertilissima illa terrarum regione in omnes fere Europae provincias continuo transferuntur, facile accidere potuit, unum alterumve promulgatum a me fuisse, quod, me in scio, alibi jam in lucem prodisset; nam perarduum est, omnia, quae Botanicam et Zoologiam pertractant, opera sat cito sibi comparare, quod vel pretii caritas, vel rarum cum terris, ubi prodeunt, commercium nonnunquam prohibet. Ne tamen hoc in litterario negotio quaedam mihi obijciatur negligentia, multa industria prae caeteris sequentes consului auctores botanicos:

*Curtis Botanical Magazin, Vol. I. - XLIV, et Voluminis XLV tab. 2015 - 2077. Humboldt et Bonpland Plantae aequinoctiales, Fasc. I. - XVI. Eorundem Genera et species nova plantarum, Fasc. I. - XII. Nicol. Jos. de Jacquin Stirpium americanarum historia, Ejusdem Icones plantarum rariorum Vol. I. - III. Ejusdem Hortus Schönbrunnensis Vol. I. - II. Ejusdem Fragmenta botanica, Jos. Franc. L. B. de Jacquin filii Eclogae plantarum Vol. I. Rudge Plantarum Guianae rariorum icones et descriptiones, Fasc. I. - II. Ruiz et Pavon Prodrromus florae peruvianae et chilensis, Eorundem Flora peruviana et chilensis, Tom. I. - III. Thunberg Plantae brasilienses, Decas prima 1817, et altera 1819.*

His in operibus plurium reperi plantarum descriptiones et icones, quas novas putabam, cum in Brasilia moranti mihi, praeter Persooni synopsis plantarum, Willdenowii species plantarum et Aubleti historiam plantarum Guianae, nihil ad manus fuerit subsidii botanici. Sortem eandem expertus sum in definiendis animalibus ibidem a me collectis, nam duces solummodo aderant: Linnæi Systema naturae editio Gmeliniana, et Fabricii Entomologia systematica emendata et aucta. Quapropter quoad faunae hunc delectum opera zoologica pervolvi praecipue sequentia:

*La Cépède Histoire naturelle des quadrupèdes ovipares et des serpens, Tom. I. - II. Cuvier Le règne animal, distribué d'après son organisation, Tom. I. - II. 1817. Daudin Histoire naturelle des reptiles, Tom. I. - VIII. Latham Index ornithologicus Tom. I. - II. cum Supplemento. Merrem Beiträge zur Naturgeschichte der Amphibien, Heft I. - II. Schweigger Prodrromus monographiae Cheloniiorum. Shaw General Zoology, Vol. I. - IX. Vieillot Histoire naturelle des oiseaux de l'Amérique septentrionale, Tom. I. - II., nec non: Azara Voyage dans l'Amérique meridionale, Tom. I. - II.; et ob tractatus, quos continent tam zoologicos quam botanicos: Annales du Muséum d'histoire naturelle, Tom. I. - XX. Mémoires du Muséum d'histoire naturelle, Tom. I - III. Magazin der Gesellschaft naturforschender Freunde zu Berlin, Jahrgang I. - I. Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle, Tom. I. - XXXVII. 1810, 1811. Transactions of Linnean Society, Vol. I. - XII.*

\*) Decem cum dimidio mensibus vix elapsis, quod ego temporis intervallum, difficultatum, quae majora sub caelo peregrino itinera molentem expectant, ignarus, ad solam praeparationem sufficere reperi, jussu Legati caes. reg., ut res hucusque collectas incolas in patriam reportarem, Vindobonam repeti; eoque ulterius rerum, quae terra brasiliensis fert, investigationibus nimis cito creptus.

\*\*) Colligendis plantis et animalibus plagas Sebastianopolim (S. Sebastian do Rio de Janeiro) circumjacentes peragravi, paucis horis abindistantes, in itinere vero versus Cabo frio, viginti circiter miliaribus germanicis ab urbe discessi.

Quodsi proinde quaedam a me tanquam nova proferantur, quae in aliis jam libris prostant, operum quo premor defectui hoc tribuat Lector, necas adumbrationes, si non priores, fors tamen exactiores inventurus. Quare nec in hoc casu oleum me operamque perdidisse timeo.

Nova plantarum genera propono: *Stifftia*, *Conchocarpum* et *Dichorisandram*; quarum nullibi, quousque compertum habeo, mentio facta est. *Velloziae* per Vandelli primo divulgatae, nec in ulla systematis vegetabilium editione nominatae, novam simul speciem offero \*).

Lanium, quem nullibi descriptum credidi, ejus imagine et descriptione lapidi et prelo jam commissis. nuperrime promulgatum inveni ab Ornithologo Vicillot \*\*). Reptilia, quae accedunt, hucusque naturae scrutatoribus incognita puto.

Quas hic trado icones, in ditionibus austriacis prima artis lithographicae, in adumbrandis rerum naturalium imaginibus conamina sistunt, in quibus efformandis non exiguas ab initio difficultates, artem recens natam plerumque prementes offendi. His tamen superaudis eam operam atque studium opposui, ut non solum naturae indagatoribus, sed et artis lithographicae cultoribus satisfactum esse confidam.

In examinandis plantis atque animalibus opem tulere caes. reg. Bibliothecae, imprimis librorum collectio selecta, ad rerum naturalium Museum e. r. aulicum spectans, ejus ut et rerum ex Brasilia allatarum usus omni liberalitate mihi concessus fuit. Quoad botanicam hujus operis partem vel libris, vel cogitatis communicatis subsidio mihi erant: L. B. de Jacquin, Trattinnick et praematura morte scientiae botanicae ereptus Universitatis Hortulanus Schott; quod Zoologiam attinet, gratias sibi vindicarunt: Josephus Natterer, Musci rerum naturalium e. r. aulici Custos (illius, qui Brasiliam hucusque transmigrat, frater), Ornithologiae deditus, et Leopoldus Fitzinger, qui Amphibiologiam studio fervidissimo colit. Plurimum, ut fatear, debeo amicissimo et promovendae bonae rei studiosissimo Ferdinando Bauer \*\*\*), qui plantarum notatu dignissimarum: *Stiffthiae* et *Velloziae* icones ad siccata quidem exemplaria, sed ad expositos simul a me viventium characteres tanta dexteritate efformavit, ut plura ad vivum delineatas esse putes. Illi quoque debeo analyses exactissime delineatas *Stiffthiae*, *Velloziae* et *Conchocarpi*. Hujus et *Dichorisandrae* primas lineas duxit in natalibus campis, vivosque addidit colores plantarum pictor e. r. Buehberger, qui lapsu infelici laesus, mecum in Europam properare coactus est. Nec gratias referre negligam rerum naturalium pictori e. r. aulico Knapp, qui singulari fide et elegantia plantarum delineationes in lapides transtulit.

Consilium, quod cepi, exiguam hanc iconum et descriptionum seriem ulterius continuandi, alter, qui brevi in lucem prodibit, fasciculus confirmabit. Si vero res minus secundae illum jam ultimum esse juberent, integrum tamen, Lector benevole! consideres velim hoc opusculum, quo particulam saltem non inutilem ad magnum illud physiographiae brasiliensis monumentum contulisse putabo, cujus fundamenta jam saeculo penultimo a Pisone et Maregravio sunt posita, ad quod exstruendum Botanici celeberrimi: Vandelli, Mutis, aliique multum contulere, et ad quod perficiendum tot tantique Naturae scrutatores, quos inter principis germani \*\*\*\*) nomen fulget, Brasiliam petebant hodieque petunt.

\*) In altero delectus hujus fasciculo promulganda.

\*\*\*) Nouv. Dict. d'hist. nat. Tom. XXXV. pag. 200. *Le Tanga gris* (*Tamnophilus cinereus*).

\*\*\*\*) Inclaruit itinere circa globum terraqueum, duce Capitaneo maritimo Flinders suscepto, quo multa naturae producta, eaque admiratione dignissima detexit, praesertim in nova Hollandia, ubi primas simul duxit lineas iconum, quibus prodromum florae novae Hollandiae socii itineris fidelissimi Brown illustravit.

\*\*\*\*\*) Maximiliani Principis de Wied-Neuwied conamina jam fertilia nemini erigitorum non sunt cognita.

DELECTUS  
FLORAE ET FAUNAE  
BRASILIENSIS.

AUCTORE

J. C. MIKAN.

*Tertius et*  
FASCICULUS QUARTUS. III & IV

Icones et descriptiones contentae.

Botanicae.

Helicteres brasiliensis.  
Passiflora amethystina.  
Gloxinia Schottii.

Zoologicae.

Tanagra chalybea.  
Tanagra diademata.  
Emys Maximiliani.

VINDOBONAE.

1825.

# EMY S. DUMERIL.

TESTUDINES. LINN. CHELONII. BRONGNIART.  
PHOLIDOTA, TESTUDINATA. MERREM.

---

## GENERIS CHARACTEREM

essentialem et naturalem, a clarissimo Schweiggero in Prodomo Monographiae Cheloni-  
orum stabilitum, Emydis radiolatae descriptioni praeposui.

### EMY S. MAXIMILIANI.

EMYS collo elongato, pedibus palmatis: palmarum plantarumque digito  
quinto inermi; testa humili, antice depresso-plana, postice convexula,  
carinata: scutellis per lineas angulato-concentricas rugosis, areolatis:  
areolis parvis, excentricis; margine medio revoluto, postico dilatato,  
serrato.

*Novam hanc Emydem indefessus, Brasiliam hucusque peragrans, Dom. Joan. Natterer in Capitania  
St. Paulo detexit, ejusque unicum transmisit specimen, optime effarctum. Quam ego speciem Cel-  
sissimi naturae scrutatoris, Maximiliani Principis de Wied-Neuwied, recentiorum in  
ditissimam illam terrae plagam peregrinantium gloriosi antecessoris, nomine inscripsi.*

### D E S C R I P T I O.

CAPUT ad latera recondendum, depressum, ovatum, vertice plano, glabro; supra fuscum, subtus  
luteo-albidum. NASUS convexus, glaber, naribus in ejus apice prominulo approximatis, mi-  
nutis, orbicularibus. MAXILLA superior arcuata, laevis, antice deorsum retusa, margine  
integerrimo inferiorem laevem et apice obtusulam arcte cingens. TYMPANUM insertioni man-  
dibulae inferioris supraimpositum, magnum, subrotundum. OCULI . . . in effarcto animali de-  
ficiabant.

COLLUM elongatum, teres, supra tuberculis minutis papillosum, subtus glabrum, capiti supra infra-  
que concolor: coloribus per lineam rectam, ab oris angulo ad truncum usque decurrentem,  
exacte limitatis.

TESTA obovata, humilis, antice depresso-plana, rotundata; postice convexula, carinata; una cum  
margine fusca. SCUTELLA disci quatuordecim, lineis elevatis, tenuibus, angulato-concentricis den-  
se rugosa, areolata: areolis parvis, tuberculato-punctatis, excentricis; dorsalia sex: primum  
minimum, subpentagonum, margine postico latissimo, arcuato; secundum maximum, subqua-  
drangulare: marginibus antico et postico introrsum arcuatis, hoc angustiore, lateralibus obli-  
que rectis, angulis anticis productis, dilatatis, angulato-rotundatis; reliqua magnitudine de-  
crescentia, (exempto ultimo) arcuato-subhexagona; ultimum subtriangulare, angulo antico  
rotundato; carina obtusula, in scutello tertio exoriente, in ultimo evanescente; lateralia  
irregularia, subpentagona: primum maximum, angulo antico producto; reliqua magnitudine  
decrecentia. In his et dorsalium secundo areolae centro approximatae, in dorsalium reliquis  
margini postico adjacentes, et, ubi carina percurruntur, glabrae. Margo testae antice hori-  
zontalis et obsolete extrorsum serratus, in medio angustatus et revolutus, postice dilatatus et  
grosse introrsum serratus, ubi femora postica tegit, planiusculus, haec inter et caudam resu-  
pinatus, subtus luteo-albidus; bracteae, quibus obtegitur, viginti quatuor: anticae minimae,

quadrato-rotundatae; his adjacentes maximae, cum proximis subpentagonae; laterales angustissimae; posticae latiores, irregulari-rhomboidales, angulo postico, marginem excedente, hujus serraturam formantes; omnes glabriusculae, lineis aliquot parallelis, parum elevatis, ad marginem notatae.

STERNUM solidum, per symphysin cum testa conjunctum, ellipticum, antice subtruncato-rotundatum, lateribus repandum, postice bifido-excisum: lobis acutis, angulo interjacente obtuso; luteo-albidum, ad margines vel in medio bractearum obliterato-fuscatum; bracteis tredecim obtectum. Harum tres anticae minimae: intermedia panduraeformis, adjacentes triangulares; secundum par vomeriforme: arcu introrsum, apice deorsum verso; tertium huic subsimile, in parallelogrammum abiens; quartum transverse angustatum, subparallelogrammum; penultimum trapeziforme; ultimum subrhombeum, lobos posticos formans; omnes lineis impressis, margini superiori et inferiori parallelis, areolam excentricam amplectantibus, extrorsum apertis notatae.



PEDES squamoso-rugosi, fusci, femoribus tibiisque subtus luteo-albidis, pentadactyli, palmati: membrana digitos conjungente ad marginem denticulata, in plantis largiore; palmarum plantarumque unguibus quatuor, validis, arcuatis, acutis, digito quinto inermi; tibiis posticis subtus squama, caeteris majore, ossea munitis.

CAUDA fusiformis, non exserta, fusca.

### M e n s u r a e.

Ad pedem Viennensem.

		Poll.	Lin.
Longitudo	animalis collo protracto	5	9 $\frac{1}{2}$
—	capitis	1	1
—	testae	4	—
—	sterni a margine antico ad angulum posticum	5	—
—	caudae	—	8 $\frac{1}{2}$
Latitudo	capitis pone aures	—	8 $\frac{1}{2}$
—	testae in scutello secundo vertebrali	2	5
—	— summa, in scutello quinto vertebrali	2	8 $\frac{1}{2}$
—	sterni summa	1	10 $\frac{1}{2}$
Altitudo	testae in primo scutello vertebrali	—	2 $\frac{1}{2}$
—	— in secundo —	—	5
—	— in quarto —	—	9



*Emys Maximiliani*